

Cris

20 (Annunziata, n. 594)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Cris

20 (Annunziata, n. 594)

1480 luglio 12, Ind. XIII, Matera

In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadricentesimo octuagesimo. Regnante inclito et serenissimo domino nostro domino Ferdinando Dei gratia Sicilie, Ierusalem et Hungarie rege, regnorum vero eius anno vicesimo secundo feliciter amen. mense iulii, die duodecimo eiusdem, tertiedecime indictionis, Mathere.

Nos Loysius Thomasii Nicolai de Angelis de dicta civitate Mathere ad contractus per provinciam terre Ydronti tantum reginali auctoritate iudex, Eustasius de Danesiis de eadem civitate Mathere puplicus ubilibet per totum dictum regnum Sicilie citra farum regia auctoritate notarius, dompnus Tucius Stefani de Mathera, Loysius Monaci magistri Ursi, dompnus Antonius Mathei de Rospo, Paulus Iohannucii de Agata, Petrus Pauli Bisantii de Greca, testes liciterati de affata civitate Mathere subscripti et subsignati ad hoc specialiter vocati et rogati presenti scripto puplico instrumento fatemur, notum facimus et testamur quod, predicto die eiusdem ibidem in nostri presentia constitutis venerabili viro dompno Angelo Mointiculo, Iohanna et Rita fratribus et filiis legitimis et naturalibus quondam Leonis Nucii de Alemo ac heredibus quondam Antonelle uxoris Eustasii de Lillo de dicta civitate Mathere, agentibus pro se ipsis et eorum heredibus et successoribus pro rata parte et eguali parte ex una, et venerabile et honesto viro dompno Luca Iacobi de Rosito de eadem civitate Mathere, similiter agente pro se et suis heredibus et successoribus parte ex altera, prefati quidem dompnus Angelus Mointiculus, Iohanna et Rita voluntarie asseruerunt pariter coram nobis se habere, tenere et possidere iusto titulo et bona fide in comuni et pro indiviso

ac pro equali portione fundum et proprietatem unius annui census tarenorum quatuor et granorum decem pecunie usualis huius regni supra domos quas tenet et possidet Franciscus de Barthomucio, sitas et positas in corpore antedictae civitatis Mathere in pictagio ecclesie sancti Angeli, iuxta domum Angeli Iacobelli Iohannis Stefani, iuxta viam publicam a superiori parte, iuxta menia civitatis Mathere, via publica mediante, et iuxta viam publicam ab inferiori parte et alios suos fines si quos habet veriores, pro quibus quidem domibus dictus Franciscus de Bartholomucius et eius heredes et successores prestare et dare tenetur seu tenentur anno quolibet eidem domino Angelo Minticulo Iohanne et Rite tanquam heredibus dicte Antonelle Eustasii de Lillo ratione et causa annui census sive redditus pro fundo et proprietate supradictarum domorum dictos tarenos quatuor et grana decem pecunie usualis huius regni ad infrascriptos terminos videlicet medietatem dicti annui census in festo Nativitatis Domini nostri et reliquam medietatem ipsius annus census in festo Resurrectionis dominice. Et placuit eisdem domino Angelo Minticulo Iohanne et Rite tanquam veris proprietariis dominis et patronis proprietatis et fundi ipsarum domorum pro eorum utilitatibus agendis ut dixerunt ipsam proprietatem et fundum dicti annui census tarenorum quatuor cum dimidio vendere et alienare ac precium inde accepisse. Qua propter prefati dominus Angelus Minticulus, Iohanna et Rita consentiens prius prefatus dominus Angelus in nos prefatos iudicem et notarium tanquam in suos cum scirent ex certa sui scientia nos suos iudicem et notarium non esse nec se fore nostre iurisdictioni subiectum iurisdictionem ipsam in hac parte voluntarie prorogando et sponte se in ea

submittendo, stante prius et ante omnia cum eadem Iohanna, muliere Angelo Iacobelli Iohannis Stefani de Mathera, pro suo munduo electo et petito // (373v) per eam dato sibi per nos iudicem et notarium ac per Petrucium Francisci de Iacutio de dicta civitate Mathere baiulum credencerium pro presenti anno tertiedecime indictionis et eius curie confirmato, consentiente et auctorizante sibi in tota serie huius presentis instrumenti et non ultra ac cum assensu, consensu auctoritate et voluntate Angeli Nardi Nucii Parvuli, sui viri, ibidem presentis, volentis et consencientis in omnibus et singulis agendis per dictam Iohannam eius uxorem in presenti instrumento contentis, stante etiam prius et ante omnia cum eadem Rita muliere, Nicolao de Raho de Matera pro suo munduo electo et petito per eam, dato sibi per nos iudicem et notarium ac per Petrucium Francisci de Iacutio de eadem civitate Mathere baiulum credencerium pro presenti anno tertiedecime indictionis et eius curie confirmato, consentiente et auctorizante sibi in tota serie huius presentis instrumenti et non ultra ac cum assensu, consensu, auctoritate et voluntate Donati de Ciminello sui viri ibidem presentis, volentis ac consentientis, voluntarie in omnibus et singulis agendis per dictam Ritam eius uxorem in presenti instrumento contentis. Interrogate quoque Iohanna et Rita ipse mulieres et diligenter examine per me prefatum iudicem de consilio sapientis si ad premissa et subscripta omnia et singula agenda per eas, vim, metum, dolum, fraudem, deceptionem vel suasionem aut aliud paterentur et non reperte per me quantum ad hoc ipsas pati aliquid ab aliquo de premissis sed bona earum libera gratuita et spontanea voluntate ea facere volentes ut dixerunt adhibitisque secum

omnibus sollemnitatibus que in mulierum contractibus requiruntur voluntarie palam puplice et bona fide iure proprio et in perpetuum vendiderunt et alienaverunt et venditionis titulo per fustem ut moris est dederunt tradiderunt et assignaverunt eidem dompno Luce Iacobi de Rosito ibidem presenti, volenti, ementi, recipienti ac sollemniter et legitime stipulanti in perpetuum, pro se et suis heredibus et successoribus, fundum ipsum et proprietatem dicti annui census sive redditus tarenorum quatuor cum dimidio pecunie usualis huius regni debendorum et solvendorum anno quolibet supra dictas domos ut supra cum iuribus omnibus et actionibus suis et pertinentiis francum, liberum et exemptum ipsum fundum venditum eidem domino Luce ab omni onere servitutis, prestationis, servicii, redditus sive census seu iuris alterius cuiuscumque ad semper habendum, tenendum, possidendum, usufruendum, donandum, vendendum, alienandum, permutandum in dotem et nomine dotis dandum, testamentandum, legandum pro anima, iudicandum et faciendum de eo vel de eis, in eis et ex eis, deinceps quicquid eidem domino Luce emptori et suis heredibus et successoribus placuerit velut de aliis propriis bonis suis tanquam veris dominis et patronis sine ipsorum domini Angeli Minticuli Iohanne et Rite venditorum et eorum heredum et successorum et omnium hominum molestia contrarietate et requisitione nullis eisdem domino Angelo Minticulo Iohanne et Rite venditoribus et eorum heredibus et successoribus sive alicui alii in eo vel in eis iure portione vel petitione quibuscumque reservatis prestante convento, diffinito ac determinato inter eos pretio unciarum quatuor et tarenorum quinque de carlenis argenti boni et iusti ponderis sexaginta per

unciam et duobus pro tarenis quodlibet computatis. Quam prefatam totam et integram pecunie quantitatem dictarum unciarum quatuor et tarenorum quinque in eisdem carlenis argenti boni et iusti ponderis ut supra computatis prefati dominus Angelus Minticulus, Iohanna et Rita stantes ipse mulieres cum assensu, consensu et auctoritate predictis, sponte coram nobis confessi fuerunt se manualiter et integraliter recepisse et habuisse a prenominato domino Luca emptore, ibidem presente, audiente et intelligente ac sollemniter et legitime stipulante, confessionem ipsam pro se et suis heredibus et successoribus eandem pecuniam bene datam numeratam ponderatam traditam et assignatam eisdem fuisse per eundem dominum Lucam emptorem pro pretio et integro pagamento ipsius proprietatis et fundi dicti annui census tarenorum quatuor cum dimidio debendorum ut supra et iurium et actionum suorum predictorum ipsumque dominum Lucam emptorem in vacuam et corporalem possessionem ipsius proprietatis et fundi prefati annui census sive redditus tarenorum quatuor cum dimidio debendorum ut supra et iurium omnium suorum predictorum ut supra venditi seu venditorum prefati dominus Angelus Minticulus Iohanna et Rita stantes ipse mulieres cum assensu consensu et auctoritate predictis in eadem nostri presentia per fustem ut moris est sollemniter introduxerunt posuerunt et constituerunt se dicti dominus Angelus Minticulus, Iohanna et Rita venditores cum assensu consensu et auctoritate antedictis tenere et possidere dictum fundum et proprietatem dicti annui census sive redditus tarenorum quatuor cum dimidio debendorum anno quolibet ut supra venditum per venditorum cum iuribus omnibus suis predictis precario nomine et pro parte dicti

domini Luce emptoris et eius heredum et successorum donec idem dominus Lucas emptor aut sui heredes et successores possessionem ipsius proprietatis et fundi prefati annui census dictorum tarenorum quatuor cum dimidio debendorum ut supra et iurium omnium et actionum suorum predictorum ut supra venditi seu venditorum acceperit seu acceperint corporalem. Quam accipiendi et ingrediendi et eorum auctoritate propria retinendi deinceps sine licentia curie, iussu iudicis vel decreto pretoris prenominati dominus Angelus Manticulus, Iohanna et Rita venditores cum assensu, consensu et auctoritate predictis prefato domino Luce emptori presenti, recipienti ac sollemniter et legitime stipulanti pro se et suis heredibus et successoribus plenam licentiam et omnimodam potestatem exinde tribuerunt et concesserunt et per stipulationem legitimam et solemnem prefati dominus Angelus Manticulus Iohanna et Rita venditores stantes ipse mulieres cum assensu, consensu et auctoritate dictis voluntarie coram nobis promiserunt et convenerunt ac proinde se et eorum heredes et successores et bona... omnia mobilia et stabilia habita et habenda presenciam et futura sistentiam ubicumque et penes quoscumque sistentiam eidem domino Luce emptori ibidem presenti et promissionem et obligationem ipsas recipienti ac sollemniter et legitime stipulanti pro se et suis heredibus et successoribus sollemniter et legitime pro rata parte et equali portione obligaverunt dictas vendicionem, tradicionem et assignationem ac premissa et subscripta omnia et singula in presenti instrumento contenta omni futuro tempore semper ratas, gratas et firmas seu rata, grata et firma habere tenere et inviolabiliter osservare et contra eas et ea non facere vel venire aliqua ratione vel

causa, de iure vel de facto nullamque inde exceptionem opponere pro se, heredes et successores suos, alium vel alios eorum nomine et pro parte puplice vel occulte, modo ingeniis vel causa ymmo dictam venditionem cum omnibus iuribus suis predictis in iudicio vel extra iudicium, puplice vel occulte eidem domino Luce emptori et suis heredibus et successoribus legitime defendere, autorizare, disbrigare et guarentire ab omni humana persona, collegio seu universitate, ius, causam vel actionem habere pretendentibus vel allegantibus ipsum emptorem, heredes et successores suos impetere vel molestare volentibus quoquomodo ac de omni iuri et actione teneri si casus evictionis acciderit expensis etiam dominio et interesse de quibus preterit simplici verbo seu dicto ipsius domini Luce emptoris et eius heredum et successorum omni alia extrinseca probatione exclusa quia sic venit et stetit ex pacto habito inter partes ipsas solemniter legitime et expresse ad penam unciarum auri decem, medietatem videlicet ipsius pene regie seu archiepiscopali curie aut alteri curie ubi de premissis reclamatio primitus exinde facta fuerit applicandam, me prefato Eustasio tanquam persona publica una cum prefato iudice ipsam pene medietatem pro parte dicte curie solemniter et legitime stipulante et reliquam ipsius pene medietatem eidem domino Luce emptori et suis heredibus et successoribus integre persolvendam. Quam pene medietatem idem dominus Lucas emptor fuit in eadem nostri presentia pro se et suis heredibus et successoribus solemniter et legitime stipulatus cum refectione expensarum damnarum et interesse, quibus quidem penis expensis damnis et interesse solutis vel non solutis aut gracie remissis presens tamen instrumentum cum omnibus que in se continet in sua

semper maneat firmitate dantes et concedentes prefati venditores ipse mulieres cum consensu emptori ibidem presenti ac solemniter et legitime stipulanti pro se et suis heredibus et successoribus licentiam et plenariam potestatem eorum auctoritate pro se pignorandi ipsos et eorum heredes et successores per omnia eorum bona mobilia et stabilia seseque moventia habita et habenda, presentia et futura ubicumque et penes quoscumque sistentia, pignora licita et illicita ad pignorandum etiam iure vetita vel permissa sine iustu iudicio vel mandato pretoris, licentia reservata sine calumnia et appellatione donec predicta omnia et singula per ordinem compleantur et tenaciter observentur et certificati prius dicti dominus Angelus Minticulus Iohanna et Rita per me prefatum iudicem se consilio sapientis de infrascriptis exceptionibus et oppositionibus iuris legum auxiliis et beneficiis stantes ipse Iohanna et Rita mulieres cum assensu, consensu et auctoritate predictis voluntarie coram nobis ex certa earum scientia pro his omnibus et singulis pro se heredibus et successoribus suis renunciaverunt expresse exceptioni et oppositioni, doli, mali, vis, metus, fraudis et in factum generalis et specialis erroris exceptioni non sic celebrati contractus res alio modo geste vel aliter geste quam sit scriptum iuri canonico, civili ac etiam longobardo, iuri scripto et non scripto, iuri consuetudinario, constitutionibus et capitulis imperialibus et regalibus factis et faciendi exceptioni non numerate non ponderate non tradite et non assignate dicte pecunie per dictum dominum Lucam emptorem et per ipsos venditores non habite et non recepte legi qua confessis intra biennium subvenitur beneficio legis fori, beneficio restitutionis in integrum ac auxiliis vallari per que mulieres in contractibus

servatus illese legi dicenti unam penam propter aliam tolli non debere, iuri per quod deceptis in contractibus subvenitur beneficio legis dictantis ** rationis pretii per quod venditionis facte minus dimidii iusti pretii rescinduntur, iuri dicenti penam in contractibus non apponi et appositam non exigi nec deberi, iuri dicenti generalem renunciationem iurium non valere ymmo voluerunt eam valere tam ad specificata quam ad non specificata et non specificata per specificatis haberi ac si omnes casus legum essent in presenti instrumento specialiter nominati et expresse subintellecti et omni alii exceptioni et oppositioni iuris, legum auxiliis et beneficiis omnibus vel specialibus per que vel ipsorum aliquod dicti venditores aut eorum heredes et successores possent venire contra predicta vel aliquod predictorum et ea in partem infringere, minuere vel totaliter annullare et ad maiorem securitatem atque cautelam prefati domini Luce emptoris et eius heredum et successorum supradicti dominus Angelus Minticulus, Iohanna et Rita venditores cum assensu, consensu, auctoritate et voluntate predicti tactis scripturis corporaliter voluntarie coram nobis ad sancta Dei evangelia iuraverunt in manibus ipsius emptoris deferentis eis et cuilibet ipsorum sacramentum predicta omnia et singula vera esse ipsaque adimplere et inviolabiliter observare prout et qualiter superius sunt expressa et presens publicum continet instrumentum. Quod scripsi ego prefatus Eustasius publicus ut supra notarius, qui predictis omnibus et singulis vocatus et rogatus interfui et meo solito signo signavi subscriptione meis qui supra iudicis et nostrum predictorum subscriptorum testium qui similiter premissis omnibus vocati et rogati interfuimus subscriptionibus et subsignationibus debite roboratum

superius, autem in tertiodecimo virgulo numerando a primo ubi legitur +++ ubi apparet abrasum et emendatum ego idem qui supra notarius Eustasius abrasi et emendavi non vitio sed errore tamen pro autentico habentur.

1

2

3

4

5

6

Ego Loysius Thomasii Nicolai de Angelis reginalis qui supra notarius ad contractus iudex predicta fateor et me subscripsi

Ego d. Tucius Stefani de Matera qui supra testis testor

Ego d. Loysius de Monaco qui supra testis testor

Ego Paulus Iohannucii de Agata predicta fateor vera esse et me subscripsi

Ego iaconus Petrus Bisancii de Greca qui supra testis testor

7

Minticulus *M*

Bartholomucio *M*

civite *F*

curiam *F*

manca in M

eos pro *F*

Iacobus *M*